

gnitas, quæ pro eorum meritis ab Senatu militaribus vi-
ris tribui consuevit. auctusque est equitum illius nume-
rus, qui erat sexcentorum, ad integrum mille. auctum
quoque stipendum ab auri libris centum quinquaginta,
ad tercentenas libras: tum decem in præsentia dono datæ
cum iis tormentis bellicis, quæ hostes e Germania secum
attulerant, quæque ipse ob rei bene gestæ memoriam a
Patribus sibi dari cupere in sermonibus cum legato habi-
tis ostenderat. Caroli autem Malatestæ uxori ac duobus
liberis infantibus illa ipsa pensio annua, qua is vivens a
republica donatus fruebatur, in viætum tradita. Deinde
cum Patribus nunciatum esset, a Maximiliano copias in
Carnis comparari, tum incursionses in reipublicæ ditio-
nem a Goritianis fieri, quod est oppidum in monte ultra
Sontium flumen situm: Senatus consultum factum est, ut
milites ter mille celeriter conscriberentur, atque ad lega-
tum mitterentur.

Cæterum quod erant plerique magistratus, qui bellum
inferri Maximiliano censemabant oportere, atque in ejus fi-
nes exercitum introduci volebant, Dominicus Mauroce-
nus templi Marcii procurator, vir re atque cognomine Sa-
piens, ætate valde proclinata, erat enim annos natus nona-
ginta, Patres monere ac rogare cœpit, ne id fieri permitte-
rent: *Germaniæ civitates, quæ liberæ suique juris essent,*
ægre ferre a Maximiliano arma contra rempublicam exer-
ceri, cum pace frui possit: eas easdem, si ei bellum infe-
ratur, moleste id laturas, neque passuras sui regis nomen
dignitatemque convelli ac proteri: non magnas esse ab illo
injurias in rempublicam illatas, de iis tamen deorum im-
mortalium benignitate pœnas ipsum reipublicæ dedisse: omnem
illam in Carnis manum concisam deletamque esse, Cad-
oras Clusamque recepta, in Rhetis nihil amissum, neque ullam
contumeliam acceptam. Quod si eo contenti, inquit, erimus,
magnum nos fructum continentiae laturos, Germaniæ totius
benivolentiam: quæ quidem certe Germania commeatisbus
asportandis, mercibusque reciprocandis, & rerum pluri-
marum communicatione ita est conjuncta nobiscum & con-
socia-

Dominici
Mauroceni
prudens con-
silium.